

sola parte residere dici potest. His positis  
sit.

## CONCLUSIO II.

*Lex sensationum est, ut producta ab objec-  
to sensibili in organo sensorio mutatione  
aliqua, huic in mente respondeat sensa-  
tio, quæ in illa mutatione rationem ha-  
beat cur actu sit, & cur talis sit.*

Prob. sensationes sunt animæ perceptio-  
nes, quarum ratio cur nempe sint & cur  
tales sint continetur in mutationibus, quæ  
sensoriis organis contingunt, *quatenus sunt  
organæ*, per definitionem. Quare si ab ob-  
jecto aliquo sensibili in organo sensorio rite  
constituto producatur mutatio, ponitur  
id omne quod requisitum est, ut in men-  
te excitetur sensatio huic mutationi res-  
pondens, hoc est, ut excitetur talis sensa-  
tio & non alia. Ergo lex sensationum ea  
est, quæ in conclusione enuntiatur. Hæc  
eadem lex experientia quotidiana confir-  
matur. Dum objectum sensibile in organum  
sensorium rite constitutum agit, na-  
scitur in anima sensatio quædam, quam  
impedire vel mutare anima non potest. Si  
fragor tormenti bellici aurem ferit, illum  
necessario percipimus, neque sensationem  
illam in sonum blandiorem mutare possu-  
mus. Si fætor nates occupat, efficere nul-  
lo modo possumus, ut ejus loco vel odo-  
rem suavem, vel fætorem minus mole-  
stum percipiamus. Si oculis apertis obje-  
ctum aliquod ex data distantia aspicimus,